



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Qualis intentio requiratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

illas existere in reru natura : sed si fierent vt instituta à Christo : sic enim ad Christum pertinent, vt eius instituta. Atqui hoc pendet ab intentione Ministri ; intentio enim est quæ hanc rationem & respectum confert actui externo : non enim illa actio habet rationem ceremonie Christi, nisi quantum manat à tali intentione, & ab ea quodammodo informatur.

20
Baptismus
mimicus
Genesij
fuit vali-
dus.

Sed contra. Obijcitur Primò, Ado Viennensis, & alij in Martyrologio die 25. Augusti referunt Genesium Martyrem mimice in scena baptizati, interius fuisse conuersum & mutatum; quod signum est fuisse verum baptismum; & tamè non videtur ille Mimus habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

Respondeo; Hic fuisse legitimam intentionem, etiamsi totu referretur ad ludu. Dupliciter enim potest aliquid fieri intentione ludendi seu mimice. Primò, Si quis simul et se aliquid facere, quod reuera non facit : vt si simulet se irasci, gaudere, interficere seipsum vel alium : & talis non habet intentionem faciendi ista reipsa. Secundò, Si verè aliquid faciat, & hoc totum referat ad ludum & risum : sicut si quis in scena comedat, percutiat alterum : item si verus Sacerdos habens in theatro personam Sacerdotis, iocandi causa verè intendat celebrare, aut consecrare, aut baptizare, conficiet vera Sacramenta, etsi hoc totum ulterius ad ludum referat : quamuis enim vltima intentio sit ludus, proxima tamen est intentio faciendi quod Christus instituit, seu, quod Christiani faciunt. Hinc etiam patet, Quomodo baptismus ille verus fuit, quo Athanasius adhuc puer quosdam Catechumenos in ludo puerili baptizauit, adhibita legitima forma & materia: intendebat enim facere, quod viderat Episcopum Alexandrinum facientem, vt refert Sozomenus lib. 2. historiae c. 16. & Nicephorus lib. 8. c. 44. Simile quid accidisse in Ecclesia Constantinopolitana suo tempore refert idem Nicephorus lib. 3. cap. 37.

Item pueri
Athanasij,

Obijcitur Secundo, D. Aug. lib. 7. de Baptismo c. 53. dubitat de baptismo mimice & ioculariter collato, & censet diuinum iudicium per reuelationis oraculum tunc implorandum, vel sententiam Concilij plenarij requirendam.

Augusti-
nos.

Respondeo, In praxi nulla opus est reuelatione; quia facillimè Sacramentum sub conditione potest iterari. Speculatiuè autem D. Augustinus dubitat; quia eo tempore non erat ita præcisè explicatum, quæ intentio esset necessaria, sicut est modo per Concil. Florentinum & Tridentinum.

Obijcitur Tertiò, Si talis intentio requiratur, valde erimus incerti, sitne Sacramentum ratum.

Respondeo, Non erimus moraliter incerti; quia Minister non habet yllam ratione, cur excludat intentionem Ecclesie aut institutionis Christi. Secus est de sanctitate Ministri; hæc enim facile potest abesse, & non est necessaria ad operandum humano modo, sicut intentio.

D V B I V M I.

Vtrum efficiatur Sacramentum, si in Ministro sint Intentiones aliquo modo contrariæ?

21
Respondeo & Dico Primò, Si Minister intendat facere quod instituit Christus, nõ tamen quod Ecclesia Romana, eò quod putet ipsam errare, conficiet verum Sacramentum. Ratio est, Quia

hæc voluntas, seu volitio profecta ex errore, implicitam habet conditione; scilicet, si ipsa fallitur. Vnde non potest perimere formalem & absolutam intentionem faciendi quod Christus instituit. Et confirmatur, Quia iste, omnibus consideratis, censetur absolute velle. Secus esset, si nollet facere, quod Ecclesia Romana, etiamsi fortassis ipsa Christi institutione sequeretur: tunc enim nihil efficeret, quia nõ haberet intentionem faciendi quod instituit Christus, nisi sub conditione falsa: id est, nisi aliud sit quod Christus instituit, aliud quod Ecclesia Romana facit. Verum talis intentio vix haberi potest, nisi ex diabolica quadam malitia.

Intendens
facere
quod
Christus,
non tamen
quod Ec-
clesia Ro-
mana.

Dico Secundò, Si intendat conferre Sacramentum sine effectu Sacramenti, conferet nihilominus verum Sacramentum & etiam effectum. Ratio est, Quia Sacramenti intentio est prior & absoluta: vnde est sufficiens ad ponendum Sacramentum: Sacramentum autem positum, quasi naturaliter & necessario producit effectum, si subiectum sit dispositum: vnde Minister non potest illu inhibere.

Vel Sacra-
mentum
sine effectu

Dico Tertiò, Si Minister intendat gratiam conferre, non tamen Sacramentum, nihil efficiet. Ratio est, Quia deest intentio primaria & essentialis.

Vel effectus
sine Sacra-
mento.

Dico Quartò, Si duo baptizati intendunt contrahere Matrimonium, nullo tamen modo velint facere Sacramentum; idq; vel in odiu Christiane religionis; vel ne Matrimonium habeat illa summam insolubilitatem, quam ex vi Sacramenti accipit, non erit Sacramentum. Ratio est, Quia intentio contraria obstat. Vtrum autem futurus sit contractus, suo loco dicemus.

Vel matri-
monium
sine Sacra-
mento.

D V B I V M II.

Qualis Intentio Ministri requiratur?

Notandum est, Esse variam Intentione. Alia enim est Conditionata, eaque triplex, scilicet Conditione de presenti, vel de præterito, vel de futuro. Alia est Absoluta, & hæc quadruplex. Actualis, Virtualis, Habitualis, Interpretatiua.

22

Dico Primò, Non sufficit Intentio Conditionata, nisi talis sit, vt statim transeat in absolutam. Ratio est, Quia sola intentio absoluta, est efficax. Si tamen transeat in absolutam, sufficit: quod fit, quando conditio est de presenti, vel de præterito, & reipsa inest; vt, *Absoluo te, si es Catholicus, si credis, si resurrisisti.* Nec refert, siue mente tantum, siue verbis exterius hæc conditio apponatur. Quod si conditio non subsistit, iam destruitur tota intentio; tunc enim Minister nullo modo intendit. Hinc patet, Si quis ita dicat, *Ego te baptizo, si tu es Catholicus; non baptizo, si es hæreticus, &c.* fore verum baptismum, modo sit Catholicus: quod est contra Dominicum Soto dist. 1. q. 1. a. 8. Ratio est; Quia conditio inest, & sic intentio conditionata transit in absolutam.

Intentio
conditiona-
ta, quæ effi-
cax, quæ
non.

Quod si conditio sit de futuro, suspendit intentionem; vnde in presenti nihil efficit: sed nec potest quando conditio impletur quidquam effici. Ratio est, Quia nullum tunc amplius est signum sensibile, quod sit Sacramentum. De Matrimonio forte est alia ratio.

Conditio
de futuro.

Dices, Quid si Minister intendat nunc absoluere sub hac conditione, *Si nunc verum est quod resurrescit;* quia propositio de futuro etiã nunc determinatè vera est, etsi à nobis ignoretur: Deus enim intuetur ipsius determinatam veritatem?

C c c ij Respon-

Respondeo, Et si hæc conditio præfens esse videatur, eò quòd veritas rei futuræ videatur præfens, quatenus est rei futuræ; humano tamen more non censetur præfens; quia non est humano more cognoscibilis in præfenti; sed solum dum fiet. Vnde talis intentio ministri nõ videtur sufficiens, & saltem sub conditione tale Sacramentum esset iterandum, præter grauisimum sacrilegium quod committeretur.

Intentio interpretatiua.

Dico Secundo, Nõ sufficit etiam Intentio Interpretatiua, qualè habet is qui voluntariè se inebriat, & nouit se in ebrietate solere actus Sacramentales facere. Ratio est, Quia hæc est intentio remota, & in causa tantum: ipsum autem Sacramentum in se debet intendi.

Intendens in somno consecrare.

Dices, Quid si distinctè intendat quis cõsecrare in somnis, & ex vi huius intentionis id faciat, hoc enim videtur fieri posse: nã imaginatio potest hoc reducere in memoriam, & mediante appetitu mouere potentiam executiuã; sicut multi noctu surgunt, ambulant, canunt, & alia peragunt.

Respondeo, Non fore Sacramentum; debet enim intendi non solum vt obiectum, sed etiã vt actio humana, humano more procedens à tali intentione. Hic autem nõ sic procedit, sed merè naturaliter, & necessariò: non enim ex vi huius intentionis homo liberè se applicat ad hanc actionem, sed ex vi imaginationis necessariò, sicut bruta.

Habitualis.

Dico Tertio, Non sufficit etiam Intentio Habitualis tantum. Ratio est, Quia hæc intentio nullo modo influit in actum externum, estq; merè oriosa, Quòd si actio Sacramentalis fortè fiat, intentio habitualis solum comitanter se habet.

Actualis.

Dico Quarto, Actualis Intentio in dubio sufficit; & est omnium optima. Aduerte tamen ad hanc non requiri, vt sic cogites, *Ego volo absoluerè, ego volo consecrare*; nã hæc est reflectio intellectus supra actum voluntatis; quæ reflexio superuenit actui voluntatis: sed sufficit, vt cogites de Sacramento administrando, & in actu exercito velis administrare.

Virtualis.

Dico Quinto, Etiam Virtualis Intentio, omnium Doctorum iudicio, sufficiens est: talis est, cum quis antè actu proposuit baptizare, consecrare, absoluerè; & ex vi huius propositi humano more se applicat ad agendum; tamen postea dum agit mente distrahitur, nec cogitat quid faciat; & hanc vocat D. Thomas habitalem. Hinc patet; Si Sacerdos minores formas seu hostias initio Sacri proposuit consecrandas, quamuis in cõsecratione earum non meminerit, nihilominus verè fore consecratas; nam in actu consecrationis habet intentionem virtualem; virtus enim & efficacia prioris intentionis manet secundum æstimationem moralem in operatione externa: nam ex vi illius, se ad externam actionem liturgicam applicuit, & hæc ex illa procedit. Sicut quando quis intendit ire Bruxellam, & ex vi huius intentionis se applicat itineri; in tota illa profectioe manet vis intentionis, donec peruentum sit ad terminum, vel donec actio impediatur, vel intentio mutetur, etiamsi nihil amplius de profectioe cogitet.

Quæri tamen hic posset (de quo nuper consultus) Si Sacristanus Sacerdote celebrante apponat hostias inter puluillum & Corporale, & Sacerdos id aduertat & consecrare intendat: mox tamen omnino obliuiscatur, ita vt pyxidè non attingat, nec super Corporale transferat: Quæri inquam

posset; Vtrum tales hostiæ verè censendæ sint consecratæ, ob illam intentionem precedentem?

Respondeo, Mihi videri eas non esse consecratas: quia illa intentio non videtur influere, cum nec actu, nec virtute videatur manere. Quòd actu non maneat, per se manifestum est: quia actualis intentio non potest stare cum obliuione & defectu cognitionis. Non manere etiam virtute, inde videtur apertè colligi, quia nullus ex ea effectus sequitur, qui tendat determinatè ad illas paruas hostias. Semper enim cum est intentio virtualis, debet ex actuali intentione præuia, sequi aliqua series actionum tendentium ad illum effectum, qui virtualiter dicitur intentus. Cum enim intentio in se non maneat, debet manere in effectu suo vltimè tendente vsque ad ipsum opus: vt multis exemplis ostendi potest. Alioqui nulla est ratio cur dicatur virtualiter manere. At in proposito nulla talis series actionum ostendi potest. Nam continuatè Missæ vsque ad Consecrationem, non sequitur ex vi intentionis consecrandi paruas hostias, sed ex consueta intentione celebrandi & consecrandi magnam, quam habet in patena, & sumit in manus, &c. Neque dici potest, illas actiones omnes ideò hic & nunc fieri ab isto Sacerdote, quia constituit consecrare paruas hostias; sed solum, quia intendit more consueto offerre sacrificium. Itaque intentio consecrandi paruas hostias, nullam omnino variationem fecit circa consuetas actiones. Secus esset si propter paruas hostias citius se applicasset ad faciendum Sacrum: tunc enim illa actio tota quatenus hic & nunc fit, sequeretur ex vi intentionis circa paruas hostias. Item secus esset, si quando erat consecraturus paruas hostias, solebat adhibere certam seriem actionum, quam aliàs non adhibebat, v. g. extendendo cruce, quas facit super oblata, ad pyxidem; vel applicando pyxidem calici circa tempus consecrationis, vel illam tunc aperiendo, etiamsi id fiat cum magna distractione, nihil distinctè cogitando de paruis hostijs.

Confirmatur hæc omnia, Quia qui aliquid intendit virtualiter, ita est dispositus & affectu & imaginatione quadam confusa circa id quod facit, vt si reflectat mentem super suam actionem, statim sit animaduersurus distinctè quid agat, & cuius rei causa agat; adeò vt si rogetur quid hac actione intendat, statim absque alio discursu respondens sit, se, hoc intendere, hoc moliri, v. g. Proficisci Romam, ædificare domum, offerre sacrificium, &c. Itaque si quis duos fines intendat, alterum primariò, alterum secundariò, & ita oblitus est finis secundarij, vt si rogaretur quid sua actione intenderet, solum responderet de primario, non video quomodo ille dici possit habere intentionem virtualem circa secundarium.

Idem varijs exemplis declarari posset. Vadit quis Romam eo fine, vt à Summo Pontifice obtineat beneficium: in itinere positus cogitat se ibi habere amicum, quem proponit, cum Romæ fuerit, salutare: sed paulò post statim ita obliuiscitur, vt toto itinere ei in mentem non veniat. Quis dicat hunc hominem toto itinere intendere virtualiter salutationem amici, & totam hanc profectioem ab illo fieri, vt amici illius colloquio fruatur? Ob hæc & alia multa, puto hanc sententiam esse veram. Non tamen damno contrariam.

Excipe ea
si quo mel-
lo modo po-
sset Sacer-
dos ad eas
reflectat.

Hostiæ consecratæ ex virtuali intentione.